

in responso 36. lib. 1. ubi in primis de contrarietate Abbatis, & Ananiam late tractavit, & infinitos Authores recensuit in unum, quos ideo omitto, & in effectu disputans ex num. 18. usque ad num. 64. cum eadem resolutione remanere videtur, quam tradidimus supra: dicit enim, Abbatis sententiam communiter reprobari, & Ananiam sententiam teneri, sed Abbatis dictum in multis casibus procedere, & ibidem, ex num. 150. usque ad n. 169. congerit 14. casus, sive conjecturas; ex quibus testator censetur feminas etiam descendentes excludere, & 174 n. 8. 19. 20. 21. 23. 25. 26. 27. & segg. usque ad n. 45. plenè ostendit, ex quibus conjecturis censetur repetita, vel non, qualitas masculinitatis semel expressa: junge etiam Achillem Pedrocham latissime, atque ex proposito in hac materia scribentem, & multa congerentem non inutiliter in cons. 5. per totum, & in consil. 12. per totum. lib. 1.

Decimo loco nonnulla scribit in hac materia, vir equidem eruditissimus, & præstantissimus Franciscus Mantica de conjecturis ultimarum volunt. lib. 11. tit. 13. per totum, ubi num. 10. magis probat Ananiam sententiam contra Abbatis nisi cum distinctione, de qua ibi. & lib. 6. tit. 13. ex num. 1. usque ad num. 8. in effectu eandem distinctionem probat, quam supra probavimus; his addam unum ad explicationem eorum, quæ cum Molina tradidimus supra, necessarium; constituimus enim num. preced. Ananiam opinionem regulariter veriorum esse; Abbatis verò sententiam procedere, ubi agnationis conservandæ ratio expressa est, vel tacite subintellecta in Majoratu: quod cum Decio in cons. 480. num. 4. Antonio Gabriele, & aliis, dixit Molina lib. 3. de Hispanorum primogeniis, cap. 5. num. 58. Verùm hanc distinctionem (quod nullus Scribentium omnium hæc tunc animadvertit) impugnat Mantica dict. tit. 13. n. 8. versic. sed considera, eaque movetur principaliter ratione, quòd semper videatur posse adduci hæc ratio conservandæ agnationis, cum de masculis semel testator fecerit mentionem, huic tamen rationi concludenter in hunc modum responderi posse consideravi: fatendo, verum esse, quòd quando mentio masculorum tantum est facta, videtur habita ratio conservandæ agnationis, ex quo testator semel de masculis mentionem fecit, prout cum aliis observat ipse Molina, & vidimus supra num. preced. ubi adnotavimus, quòd masculorum mentio facta, arguit agnationis conservandæ rationem, ut etiam fundat Riminaldus junior in consil. 347. num. 26. lib. 3. fecus tamen est, quando in una parte testamenti est facta mentio de masculis; in alia verò est appositum verbum non faciens expressam mentionem de filiis masculis, sive quod feminis, & masculis conveniens est, prout in terminis Abbatis; & Ananiam contingit, quia tunc ad inducendam repetitionem masculinitatis, necessarium est, expressam fuisse, aut saltem subintellectam agnationis conservandæ rationem, aut aliam necessariam esse rationem, aut probabilem conjecturam, quæ repetitionem fieri debere suadeat: alioquin propter verbum utrique conveniens, sive ommissam, aut non expressam, vel repetitam qualitatem masculinitatis, aliter dicendum erit, ut latius probatum est supra; at verò in terminis prædicti Authoris, nullum verbum est contrarium suadens, masculorum potius verbum expressum, quod agnationis conservationem inducit, nec alia ratione adjectum fuisse censeri potest, & in hoc excusari non potest ipse Author, qui tamen lib. 6. tit. 15. num. 9. & lib. 11. tit. 14. num. 25. cum aliis rectè constituit, agnationem tunc censeri conservari voluisse, quando femina semper excluditur, & nullo casu admittitur; fecus tamen ubi in aliqua parte dispositionis vocatur: quod post Baldum in cons. 473. lib. 5. advertit etiam Molina de Hispanorum primogeniis, lib. 3. cap. 5. num. 50. per totum, ubi in id refert Alexandrum, Socinum, Decium, Gozadinum, Modernum Paris. Curtium, & Cravetam: Joannes Gutierrez in cons. 13. num. 23. & 24. Peregrinus, Simon de Præcis, Mieres, & Velasquez de Avendaño in locis

relatis supra. Hieronymus Gabriel in consil. 132. num. 34. lib. 1. Decianus in cons. 26. num. 85. lib. 2. Menochius in cons. 95. num. 98. lib. 1. Joannes Vincentius Honded. in cons. 8. num. 57. lib. 1. Pedrocha in cons. 5. num. 63. & 161. 179

Præterea, & undecimo loco, accurata, atque distincta, & eleganti manu, de hac materia scribit, & Ananiam opinionem contra Abbatis, aut saltem concordiam communem supra propositam semper sequutus est eruditissimus, atque excellentissimus Menochius: ad quem, si velis re hanc radicatus scire, omnino confugere debes, in cons. 85. n. 110. & in cons. 95. per tot. & in cons. 97. n. 152. lib. 1. & in cons. 111. per tot. & in cons. 117. per tot. lib. 2. & in cons. 215. à n. 172. usque in finem consilii, & in consil. 219. à num. 93. & num. 74. usque ad num. 90. & n. 143. & 144. lib. 3. & præsumptionum lib. 4. præsumpt. 180. per totam, ubi latissime agit de dictionibus, causis, aut rationibus, ex quibus repetitio inducitur, sive excluditur, & vide etiam præsumpt. 176. ubi inter alia discutit, an, & quando masculinitatis qualitas, posita in primo testamento, censetur repetita in secundo, & junge Gerard. Mazolum eruditè loquentem in hac materia in cons. 5. à num. 5. usque ad num. 60. lib. 1.

Deinde, & duodecimo loco, de materia hujus capituli tractavit etiam, & eruditè, ut solet, Tiberius Decianus in cons. 1. num. 380. 381. & 382. vol. 1. nec simpliciter transit cum opinione Abbatis, nec etiam cum contraria Ananiam, sed modificandum existimat utramque opinionem, sic ut conveniat omnino cum his, quæ cum Molina, & aliis superius diximus, & in cons. 7. n. 55. eod. vol. ubi ponit nonnullas conjecturas, ex quibus constare potest, quòd masculos feminis testator præferre voluerit, & in cons. 12. num. 45. & 46. eod. vol. ubi in effectu, in idem inclinatur, quod supra resolutum est; & sic intelligendum est, quod tradit in cons. 28. n. 28. vol. 1. & in consil. 1. num. 93. vol. 4. & de dictionibus inducentibus, vel excludentibus repetitionem qualitatis præcedentis, agit ipse Decianus in cons. 17. num. 34. 35. & 38. 39. 40. 41. & 46. & 49. vol. 1. & in cons. 41. num. 143. & 144. eod. vol. & in cons. 101. n. 4. 7. 11. 13. 14. & 16. vol. 2. & in cons. 10. num. 55. 56. 57. & in cons. 34. num. 108. cum segg. vol. 3. & in consil. 1. num. 131. 142. 144. & 148. & quinque segg. eod. vol. ubi etiam dicit, qualitatem masculinitatis non censeri repetitam, nisi ex alio colligatur mens testatoris, ut si voluerit bona conservare in agnatione; tunc enim qualitas censetur repetita, aliàs non.

Hippolyt. etiam Riminaldus, multis in locis, atque erudite multum, materiam hanc pertractavit; eumque à primo usque ad septimum consiliorum vol. cum ego evolverim, & non absque consideratione prælegerim, nullum ferè in proposito hujus Capituli scriptum verbum omisi, quod non inspicerem, & omnia, quæ ipse scripsit, consilia in unum congeffi, ut ea recensere hoc loco, igitur de hac materia vidèdus prædictus Author in consil. 279. num. 130. & tribus segg. lib. 3. latius in consil. 111. lib. 2. ubi plenè in proposito hujus capituli, & de dictionibus, aut rationibus, ex quibus induci, aut excludi debet repetitio, & in consil. 347. num. 29. lib. 3. ubi dicit, quòd masculinitatis qualitas intelligitur repetita in alia oratione etiam diversa, ubi habetur ratio agnationis aliàs fecus; & inde, quòd quando testator dixit in una parte testamenti de filiis masculis? in alia, de filiis simpliciter; quòd intelligitur etiam de filiis masculis, quando fuit habita ratio agnationis, aliàs fecus: quod est idem; quod cum Molina, & aliis supra resolvimus; & sic debens intelligi, quæ post Alexandrum, & Rolandum adducit ipse Riminaldus in cons. 371. num. 129. lib. 4. & in cons. 492. num. 25. & lib. 5. ubi dicit, circa questionem Abbatis, & Ananiam varias distinctionem attulisse Doctores, ut etiam dixit in cons. 199. num. 247. sed veriorum esse eam, ut scilicet repetitio non inducatur, nisi ob rationes superius dictas; vel nisi quando militat eadem ratio, aliàs fecus, & in cons. 544. num. 187. lib. 5. ubi ex num. 180. agit de prædicta contrarietate, & resolvit

solvit ut supra, ut scilicet, non existantibus verbis aliis, vel conjecturis, procedat opinio Ananiam; aliàs opinio Abbatis: quod in effectu resolvit etiam in cons. 560. n. 7. & 8. & num. 15. 16. & num. 42. lib. 5. & in cons. 645. num. 78. & 9. lib. 6. & in cons. 19. n. 65. lib. 1. & in consil. 676. n. 34. 35. 36. 37. 38. & 39. lib. 6. ubi agit de prædicta contrarietate Abbatis, & Ananiam, & dicit conciliari in hunc modum; quòd aut nulla existant verba, nullaque conjectura, quæ dici possit, testatorem id egisse, ut bona in familia conservarentur per masculos, & hoc casu procedit opinio Joannis Ananiam negativa repetitionis masculinitatis: aut verò verbis, vel conjecturis constat, testatorem voluisse per masculos agnationem conservari, & hoc casu procedit opinio Abbatis affirmativa repetitionis, vel ex aliis causis, ut ibidem probat n. 38. & segg. & repetita eadem in cons. 677. n. 13. & num. 84. & segg. & in cons. 681. n. 3. & 4. lib. 6. & in cons. 714. num. 36. & segg. eod. lib. & sic debet intelligi in cons. 78. num. 24. & 25. lib. 1. & in cons. 111. n. 7. & 67. & n. 20. 21. & 25. & 42. 43. & 44. lib. 2. latius in cons. 112. num. 130. & segg. & num. 155. usque ad num. 167. & num. 51. usque ad n. 89. lib. 2. ubi late de hac materia, & in cons. 786. num. 16. & 17. n. 43. & quinque segg. lib. 7. & in consil. 767. num. 23. 24. & 25. & num. 59. eod. lib.

Denique ultimo loco, atque novissime omnium Blasius Flores Diaz de Mena in addit. ad deos. 27. Game, num. 8. l. part. ex mente aliorum, regulam tradit, aut generalem doctrinam in hac materia qualitatum, repetitionem fieri ex tacita voluntate testantis, ex forma verborum, ex generalitate, ex relatione, ex identitate rationis, & aliis similibus: quod rectè procedit, & his convenit, quæ superius à nobis sunt adnotata.

CAPUT V.

De acquirente rem alienam à Fisco.

Ad l. omnes, & l. bene à Zenone, C. de quadriennii præscriptione, ubi quæ hæcenus in proposito earum scripserunt Doctores in mille locis, breviter recensentur in unum: nonnulla verò, quæ nec absolute, nec distinctè explicarunt, dilucidè, & eleganter magis, quam antè erant, enucleata traduntur. Deinde, utrum in damnum Minorum, Ecclesiarum, & Clericorum, Laicorum etiam in terris Ecclesiæ, aut de jure canonico procedant, diligenti manu discutitur; Laurentii de Pinu resolutio in cons. 90. num. 9. (ad quam nullus hucusque animadvertit in hac materia) noviter, & verè impugnatur, atque in proposito quamplurima ultra alios, ab Authore adnotantur: vulgatum denique Doctores assumptum, Piæ causæ favendum, atque in dubio judicandum pro illa; multis remissivè exornatum, & ibidem, quæ dicatur pia causa, cum multis exemplis, late etiam declaratum remissivè.

SUMMARIUM.

- 1. Emens à Principe, vel à Fisco rem alienam, vel ex donatione, aliòve titulo eam accipiens, statim securus est, nec aliquid ab eo peti potest: dominus tamen rei, habet regressum contra Principem, aut si cum infra quadriennium ad consequendum pretium, & lapsò quadriennio, amplius non auditur.
- 2. L. omnes, & l. bene à Zenone, C. de quadriennii præscriptione, materiam, plenè manu tractatam ab his, qui hoc numero recensentur.

- 3. L. omnes, & l. bene à Zenone, dispositio utrum habeat locum in juribus? & consilium Baldi, 359. lib. 3. eleganter, atque utiliter explicatum ab Sfortia, remissivè.
- 4. Legis, bene à Zenone, & similitum decisio tot habet limitationes & exceptiones, ut nunquam ferè ipsarum regula prædicarum poterit, ex sententia quorundam, sed Author num. seq. earum decisionem non fierilem arbitratur; imò potius in publicis causis, & prædicis negotiis frequenter allegari, multisque conducibile esse, testatur.
- 5. L. bene à Zenone, non procedit, quando actor præten dit causam ab uno Principe, reus verò ab alio, remissivè.
- 6. L. bene à Zenone, & l. omnes, C. de quadriennii præscriptione, dispositio, velut rigorosa restringenda est, atque strictissime interpretanda, sic ut quilibet error, seu modicus defectus faciat eam cessare.
- 7. L. bene à Zenone, cum similibus, non procedit in præjudicium Minoris, & in rebus suis, ex sententia communi Doctorum.
- 8. Qui concordant in hoc, nempe quòd in proposito casu per beneficium restitutionis in integrum, Minori succurrendum sit; non tamen in specie declarant, utrum restitutio hæc contra Principem, aut Fiscum concedenda sit, an verò contra emptorem, sive donatarium, ad rem ipsam recuperandam.
- 9. Nec exprimunt tempus restitutionis prædictæ petende; alii enim simpliciter dicunt, quòd dictæ leges non habent locum in rebus Minoris, a'li verò, quòd contra dispositionem earum Minor venit restitutus.
- 10. Idcirco, pro expedita, brevi tamen, & distincta resolutione, ultra Scribentium sententiam, nonnulla constituisse duxit Author, quæ numeris sequentibus adnotantur.
- 11. L. bene à Zenone, dispositio, comprehendit Minores, & res eorum, ex sententia Authoris, cum aliis.
- 12. Lex generaliter loquens, comprehendit omnes, & quascunque personas, etiam privilegiatas, si in ea re, de qua agitur, non reperiantur habere privilegium aliquod peculiare.
- 13. Lex generaliter loquens, comprehendit personam Minoris.
- 14. Minori restitutionem competere adversus decisionem dict. l. bene à Zenone, & dict. l. omnes, rectissime constituisse Doctores communiter.
- 15. Restitutio in integrum Minori lesò regulariter competit, nisi aliqua lege reperiat expresse prohibita.
- 16. Et adeò favorabilis est, ut nec tollatur per verba generalia legis, vel statuti.
- 17. Nec generalem exclusionem alicujus legis.
- 18. Nisi per specialem nominationem.
- 19. Et quamvis lex, vel statutum de quacunque persona loquatur, si de Minore specificè non loquitur, tunc Minori competit restitutio.
- 20. Minor contra dispositionem dict. l. bene à Zenone, restituitur ad rem ipsam, etiam post quadriennium, ex sententia Glossæ, & quorundam.
- 21. Ex sententia verò aliorum, ad pretium tantum, etiam post quadriennium, & non ad rem ipsam, quòd ab Authore magis probatur, & num. seqq.
- 22. Si Fiscus, vel Princeps vendit rem Minoris, non tanquam alienam, sed tanquam propriam, emptor est securus: & tunc, ubi Major habet regressum in quadriennium ad pretium, habebit etiam similiter Minor post quadriennium ad pretium, non ad rem.
- 23. Respublica Minori equiparatur, & jure Minoris utitur, ut restitatur, contra dispositionem dict. l. bene à Zenone, & similitum.
- 24. Respublica, aut Communitas non debet gaudere beneficio restitutionis in integrum, ad petendam pretium à Principe, si à tempore perfectæ præscriptionis quadriennii, quòd in dict. l. bene à Zenone, statuitur, lapsum est aliud quadriennium, & ultra, infra quòd restitutio in integrum postulari debuit, & ibidem